



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Contra appellationem ab aduersario interpositam, potest iudex alium
absoluere, praestita tamen iudicio sisti cautione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

inde coram te, quod veritatem confessi fuerint, purgationem præstare.

CAP. II. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Qua fronte nos super articulis iuris consulere valeas, non videmus, cum in his quæ tibi nota sunt & liquida, manifeste dicaris ordinem peruertere, & euidenter libertati * ecclesiæ contraire, pro qua ille gloriosus & inclytus martyr, prædecessor tuus Thomas martyrium subire non expauit. Iam enim non in ecclesia, sicut canonicum est & honestum, non in palatio, non in camera tua, sed in propria camera regis, contra debitum iuris & contra pontificalis officii dignitatem, episcoporum electiones diceris confirmare. Verum super his, de quibus nos consulere voluisti, prout nobis dederit Dominus, tibi respondemus: sane si quis pro contumacia vel alia qualibet causa, excommunicatione tenetur adstrictus, & offert se ad iustitiam de his, pro quibus sententiam ipsam excepit, iudex eum, vt non in excommunicationem * discedat, absolueret poterit, etiamsi pars aduersa, ne absoluaatur, appellationis obstaculum interponat: ab ipso tamen ante absolutionem sufficiente cautione recepta, quod vel in præsentia Romani pontificis, ad cuius audientiam appellatur, si maluerit aduersarius, vel coram iudice, cui Romanus pontifex causam delegauerit, vel coram eo in quo vtraque pars conuenerit, iuris pareat æquitati.

CAP. III. *Idem in eadem epistola.*

De his etiam, qui se conqueruntur irrationabiliter excommunicationi vel interdictioni suppositos, illud idem dicimus, etiamsi hi pro quibus tulerint sententiam, ad sedem apostolicam duxerint appellandum.

CAP. IV. *Idem Rothomagensi archiepiscopo.*

Quia quæsitum est a nobis ex parte tua, si liceat tibi eos qui excommunicationis vinculo ab episcopis, aut suffraganeis tuis fuerint innodati, & ad audientiam tuam appellant, absolueret antequam steterint tuo iudicio: inquisitioni tuæ præsentibus literis respondemus, quod si post appellationem inter eos sententia excommunicationis est